

Terminus Formalis productionis dicitur esse res quæ recipit esse totale post non esse. Hoc modo Angelica natura: Cælum; Materia prima, & singule animæ rationales dicuntur termini formales, quia receperunt esse formale, & esse simpliciter post non esse secundum totum suum esse. Nam ante creationem. Angeli, cæli, materia, & animæ nihil erat præcedens, quod deseruient eorum essentia, alioquin non essent ex nihilo. Ideo Filius indiuis dicitur esse Terminus.

Ex Diu. Augustino.

Totalis & } Totalis respectu persona. } Totalis, quia persona dicitur suppositum, & nullius pars.
Formalis. } Formalis respectu generationis. } Formalis, quia quicquid habet recipit per generationem.

Quæstio Doctoris.
Respon.
Ioa. 5.

Stante hac declaratione accedo modo, ad Doctorem qui quærit. An in filio dicatur terminus formalis quo passiuè producatur? Respondet Doctor assertiuè, quod datur formalis terminus quo filius producitur. Secundo declarat quid sit iste terminus, & ponit esse diuinam essentiam, tertio probat multipliciter, & primo Auctoritate. Quod dedit mihi pater maius est omnibus dicit filius.

At maius non potest esse relatio, nec passiuè generatio, quia sunt respectus, & habent esse ab essentia, ergo si in filio sunt tantum duo scilicet essentia, & relatio, ergo essentia est maius.

At cum essentia sit communicata à patre ipsi filio, ergo ut terminus formalis erit filius.

2. De summa Trini. & sic catho. e. damnamus. Filius nascendo substantiam patris recipit, sed recipere substantiam dicit utrunque, videlicet generationem passiuam, & essentiam, ergo in ratione formalis termini.

Præterea ex Art. 3. in patre sunt duo, videlicet Relatio, & essentia. Non potest esse relatio, ergo essentia. Probo quod non sit relatio. Illud quod est in se in communicabile non est alij principium communicationis: Atque Relatio in patre est incommunicabilis, ergo non erit principium. Probo maiorem. Indiuiduum est in communicabile. Nam fortes, ut fortes, est in communicabilis si ergo communicatur erit per formam substantialem, ergo illa forma generat.

Præterea. Generatio est ex similibus similia procreans, ergo principium generationis ubi maior similitudo. Atqui similitudo est penes essentiam. Quoniam similitudo dicit unitatem, unitas dicit entitatem, & naturam, & natura dicit essentiam. Igitur.

3. Certum quod generatio est ex similibus similia procreans, & generatio ex similibus dicitur esse uniuocata, alioquin pater esset nobilior filio. Sed uniuocatio non potest esse respectu generationis actiua, & passiuæ, inter paternitatem, & filiationem quia sunt opposita relatiue, ergo erit respectu essentia, sed essentia communicatur filio, ergo erit formalis terminus.

Ideo in Quinto Articulo ponit vnam distinctionem quod in productione filij duo considerantur.

Alterum penes totalem, & integram rationem potentia actiua, ut principium elicitiuum, & terminum totalem, & integrum potentia passiuam.

Alterum penes principalis in principiando, & assimilando. Non quo ad totalem rationem potentiarum. Si sumatur primo modo dico quod ambæ concurrunt, videlicet essentia, & relatio. Si vero secundo modo sumatur, dico quod principalis, in principiando, vel producendo, & terminando, est essentia.

CONTRA HANC CONCLUSIONEM.

Adduco difficultates quibus probatur quòd non sit essentia sed relatio.

1. & 3. Artic.
Hic quo. 3. q. 3.

Omne quod generatur sequitur formale principium generandi. Sed genitum sequitur ipsam relationem, ergo principium formale generandi est relatio, ergo non essentia. Probatur maior.

Nam generatio principalis terminatur ad genitum, unde habet respectum magis ad distinctum, quam ad simile, sed distinctum pendet à relatione, & simile ab essentia, ergo magis relatiue, quam ab essentia.

7. Diuis. com.
27. & 28.

2. Præterea Generatio prius terminatur ad istum hominem, quam ad hominem. Sed iste homo in quantum iste, est distinctus per relationem, ergo relatio. Probo maiorem. Ex Arist. 7. Diuin. com. 27. & 28. ubi inquit, quòd homo generatur per accidens, iste vero homo per se, ergo relatio erit principium.

3. Præterea dans esse, & primum actum supposito, dat & secundum. Sed relatio dat esse supposito patris, ergo, & dabit secundum esse, quòd est producere, ergo erit principium productiuum. Valet respectu substantialis formæ, non aut relationis.

4. Præterea. D. Aug. 5. de Trini. cap. 8. Eo filius dicitur quo genitus est, ergo eo pater dicitur quo generat. Sed pater est relatio, id est, paternitate, ergo paternitate generat.

5. Præterea. Filius dicitur esse imago patris formaliter per filiationem, ergo producitur à patre per paternitatem, & non per essentiam. Probatur quia filiatio correspondet non essentia, sed paternitati. Nam si esset Imago per essentiam, esset etiam Spiritus Sanctus, sed hoc est falsum, ergo. Hæc volui adducere.

R E S P O N S I O N E S

Argumentorum.

Productio duplex.

Productio dupliciter. Vel ut dicit totalem, & integram rationem potentia productis, & sic essentia cum relatione producunt filium. Secundo modo ut dicit modum principaliorum assimilandi, & sic dicitur esse essentia. Hac responsione omnia dubia soluntur. Secunda Resp. Generatio sumitur bifariam.

1. Modo sumitur ut productio. } Ut productio relatio est principium elicitiuum, quia ut productio arguit distinctionem.

2. Modo ut communicatio. } Ut communicatio essentia est principium elicitiuum, quia ut communicatio est quædam largitio similis de simili. Hac pro præsentia. In sequenti lectione videbimus. 6. dist. in qua Magister agit. An pater genuit filium. Voluntate, vel necessitate?